



DISPUTATIO JURIDICA

De

PUBLICANIS,  
VECTIGALIBUS

ET

COMMISSIS,

Quam

D. T. O. M. A.

SUB PATROCINIO

*Nobilissimi, Clarissimi & Consultissimi*  
VIRI,

DN. GUILIELMI CRUSII,


Philosoph. & U. J. D. hujusque in Alma Ele-  
ctorali Brandenburgicâ, quæ est Teutoburgi  
Clivorum, Academiâ Antecessoris Or-  
dinarii, Facultatis h. t. Decani,

*Publicè vindicandam assumit*

WILHELMUS HENRICUS HOCHWANDT,

Embricâ - Clivensis, A. & R.

*Ad diem 8. Decembris, horis locoque solitis.*



DUISBURGI ad RHENUM,

Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.

ANNO M. DC. LXXXIV.

93

7

1684, 1



*Amplissimo, Prudentissimo Spectatissimoq; Viro,*  
DN. WILHELMO HOCHWANDT, Urbis EMBRICAЕ Consulari dignissimo, caro & cano Patruo suo filiali nunc honore & cultu venerando; Mecœnati & Fautori Studiorum suorum unico, amore (dum spiritus hos reget artus) perpetim prosequendo, colendo.

VELUT ET

*Nobilissimis, Generosissimis & Justissimis Viris,*  
D.D. CONSULIBUS; SCABINIS & SENATORIBUS Civitatis nominatæ EMBRICENSIS, Eorumque SECRETARIO fidelissimo, Dominis & Patronis suis benevolentissimis.

UT ET

*Plurimum Reverendis, Pietate & Eruditione Spectatissimis Viris,*  
DN. ANTHONIO TIMMERO,  
&  
DN. CASPARO Von LEEUWEN,  
in Ecclesia Urbis Patriæ, Verbi Divini Ministris meritissimis.

TAMDEM


*Prudentissimo & Eximio,*  
DN. MICHAELI MUSFELDIO, Scholæ h. t. Rectori,  
&  
DN. JOANNI ADOLPHO, ejusdem Præceptoris, ob maxima præstita,

Exercitium hoc Juridicum in exhibitæ sibi benevolentia hostimentum & ulterioris favoris incitamentum

*Lingua manūque consecrat*

WILH: HENR: HOCHWANDT,  
Auth. & Resp.





DISPUTATIO JURIDICA

De

PUBLICANIS, VECTIGALI-  
BUS ET COMMISSIS.

PROOEMIUM.



*S*æpe numero cogitanti mihi quam maxime materiam publici exercitii ergo, Doctorum examini exponerem, nunc hac, nunc illa mecum trutinata, tandem in Titulum incidi Digestorum de Publicanis, Vectigalibus & Commissis, qui dignum consideratione mea argumentum suppeditare videbatur. Nihil novi, Candide Lector, à me expectes, velim; cum sane nihil ego scribere potuerim, quod non antea scriptum, nihil dicere vel narrare, nisi quod dictum vel narratum sit prius. Ad destinatam itaque materiam me accingo, implorata tua, Candide Lector, in legendo benevolentia, imprimis vero, quoniam difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo inchoata sunt principio C. principatus 25. caus. 1. q. 1. nullumq; boni operis est superædificium, ubi Christus non est fundamentum C. 26. caus. 1. q. 1. merito exemplo & imitatione religiosissimi Imperatoris nostri, IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, quo nihil existit majus, Nov. 164. ad hoc instituti mei opus progredior. Oppido autem hanc tractationem divido in tres Sectiones: quarum prima aget de Publicanis; secunda de Vectigalibus, & tandem tertia de Commissis.



SECTIO PRIMA

De

PUBLICANIS.

THESIS I.

**Q**Uoniam per vocabula ad rerum cognitionem non infeliciter contenditur, operæ pretium erit paucis vocis Publicani assignare primò Etymologiam, dein Synonymiam. Etymologiam quod concernit, Publicanus à populo seu publico dictus est, quia id conductum habet, quod populi, sive quod publicum est *l. 1. §. 1. h. t.* vid. *Gæddæum ad l. 15. ff. de V. S. n. 3.* Nam publica appellatio in compluribus causis ad pop. Rom. respicit *l. 16. ff. de V. S. Conn. lib. 4. cap. 16. n. 1.* Publicanus autem est qui publico fruitur (nam inde nomen habet) & generaliter omnis ille, qui quid à fisco conducit, rectè hoc nomine gaudet.

II.

Quod ad Synonymiam: qui in rubr. h. t. vocatur Publicanus, aliquando conductor vectigalium *arg. l. 12. §. 3. h. t.* Quandoque redemptor dictus; item Manceps, *l. 11. C. h. t. l. 53. ff. locat. conduct.* Mancipem tamen aliquam inter Publicanos prærogativam habere putat Alex. ab Alexandro *in cap. 29.* talis fuit Zachæus, cujus in Nov. Test. fit mentio, hodiè Inspectorem Teloniorum vel simili appellatione vocaremus.

III.

His ita notatis rei ipsius cognitionem aggredimur, instituti Publicanorum primo originem s. existentiam, mox ipsam essentiam spectaturi. Publicanorum origo ad



ad Romanorum tempora spectat, nam cum illi provincias & regiones armis subegissent, eas sibi vectigales fecere, unde prædia in illis sita vocabantur vectigalia. *l. 12. §. 2. ff. de publ. in rem action.* Et hinc, qui reditus ex his prædiis publicos conduxerant, Publicanorum nomine insigniebantur. Hi olim magno in honore & pretio fuerunt, si quidem Principes equestris ordinis hoc vitæ genus sequebantur & equitum Romanorum flos ipse Publicanorum ordine continebatur. Postea depravatis moribus, paulatim pro concione ab Imperatoribus aureis annulis velut præcipuo munere donari cœpere: deinde libertinos hoc jure donari, & ordini advocari cœptum. Teste Alex. ab Alexandro *Genialium Dierum lib. 1. cap. 29.* Genus fuit hominum potens & audax, mox scelerum etiam infamia laborans, quorum nequitia in eo versabatur, quod nomine vectigalium per se aut suos plus æquo per vim aut dolum extorquerent: unde tandem hominum vile genus habitum, & in sacris non rarò injustitiæ arguitur.

IV.

Publicanorum Essentiam imprimis definitio exhibet. Variæ circumferuntur, mihi præ ceteris Dn. Struvii placet, juxta quam Publicanus est vectigalium seu in genere redituum publicorum, vel pop. Rom. vel municipii, conductor. Definitione sic proposita innotescit satis, quod Publicani vocabulum hic non strictè sumamus, pro tali qui tantum telonium &c. conduxit; sed & tales sub hisce comprehendimus, qui publicos reditus accipiunt *l. 13. pr. & §. 1. h.* Dividuntur quidem Publicani variè ratione objecti, sed cum hoc ad nostræ statum Reipubl. parum faciat, studio





de iis, ubi insuper brevitati studemus, dicere super-  
sedemus.

V.

Ut nihil antiquitatis penitus ignoretur, sciendum quomodo tales locationes iniri solitæ fuerint, & quidem prius per edictum publicum, vel Præconis vocem denuntiabantur, post publicè sub hasta fiebant, ut per licitantium contentiones pretium augetur, ubi tunc superiori id est majorem mercedem offerenti, vectigal addicebatur. Et qui sic à populo emebat conducebatve manu sublatâ significabat, se authorem emtionis vel conductionis esse. Fest. in voc. manceps. vel sibi emptionem conductionemque placuisse. vid. Anthon. Matth. in tract. suo de aucton. lib. 2. cap. 2. num. 5. Hodie hîc ritus pro loci ratione aliquando observatur quandoque ab illo receditur.

VI.

Hæc locatio non ad unum tantum annum, sed plures olim fieri solita. Ad quinquennium quod Iustrum vocabant sæpè fuisse extensam ex l. 7. C. locati patet. Triennii fine concludi vult l. 4. C. b. quæ tamen non eo intelligenda, quasi conductio ultra triennium extendi nequeat, sed ne minoris temporis spatio concludatur. Apud nos verò locatio ista annum egredi regulariter non solet, ut Fisco tantò consulatur uberiori, auctis in annos singulos locationum pretiis. Peregrin. de jur. fisci. lib. 6. tit. 5. num. 3.

VII.

Ordo nos vocat ut agamus de iis qui vectigalia conducere possint vel non: Possunt autem soli patresfamilias, & si filiusfam. ea conduxerit, hoc ipso se gerit pro patrefam. l. 3. §. 1. ff. ad Sctum Macedon. Mulie-

res



res etiam posse arbitror (licet multi contrarium statu-  
 tuant) ex l. 47. ff. de jur. fisc. Porro tutores & cu-  
 ratores minorum conducere non possunt, non tan-  
 tum durante administratione, verum & eâ finitâ quam-  
 diu necdum rationes ejus reddiderunt l. unic. C. ne  
 tut. vel curat. vectigal. conduc. Idque favore partim  
 pupillorum, partim Reip. est introductum, nam vi-  
 dentur duobus in solidum bona sua obligare. Vid. Go-  
 thofr. comment. in Corpus Juris Civ. circ. l. alleg. unic.  
 num. 22. Et si fortè dissimulato munere de facto ve-  
 ctigal. conduxerint, poenâ falsi coërcentur l. 49 ff. lo-  
 cat. l. 1. §. 9. ff. ad L. Cornel. de fals. quod verò falsi  
 poena hi coërceantur speciale quid est in tutore & cu-  
 ratore, nam in alio crimen stellionatûs locum habe-  
 ret. l. 1. & ult. C. de crim. stellionat. Nec reliquator  
 admittitur, antequàm priori conductioni satisfecerit  
 l. 9. §. 2. h. Eodem loco habentur debitores Fisci &  
 Reip. ne ex aliâ & nova causa debita eorum oneren-  
 tur, nisi fidejussores idoneos præstiterint, uti dicit  
 alleg. l. 9. §. 3. h.

VIII.

In hac nunc & seqq. th. pertractabimus breviter  
 quæ à Publicanis præstantur. Et primò quidem sole-  
 bant qui licitatione vicerant cautionem præstare ido-  
 neis fidejussoribus l. 9. h. ut ita publico foret satis  
 prospectum. Quod etiamnum in benè constitutis Re-  
 publ. viget & observatur. Deinde debent promissas  
 vectigalium aliorumve reddituum pensiones debito  
 tempore exsolvere: Sed quid si non solvunt tamen?  
 In promptu sunt duo remedia, nam 1. conductores  
 cogi possunt ut tempore locationis completò solvant;  
 & 2.



& 2. si non possint vel in mora sint ut usuras ex mora præstent l. 10 §. 1. h. uti aliàs regulariter.

IX.

Sed quid si plures idem vectigal conduxerunt num tenebuntur in solidum? Distinctionem Clar: Struvii amplectendam esse puto: an expressum sit, quod singulis vel pro parte, vel in solidum sit locatum, & quod expressum est servabitur l. 13. C. locat. l. 47. ff. eod. nam pacta dant legem contractui: an verò nulla partium solidivè mentio facta: Et quidem si Publicanus seu Publicanorum Princeps, in specie manceps dictus (vid. th. II.) participem aliquem fecerit, id est partem vectigalis alicui rursus cesserit, hic pro parte suâ solùm obligabitur, ipse manceps in solidum tenebitur. Si verò societas fuerit inita inter Publicanos, non quilibet in solidum sed pro parte virili tenetur; si tamen unus vel alter non sit solvendo, hoc ceteros onerat, qui pro ipso obligati esse censentur, idque ob publicum interesse.

X.

De ipso Prætoris Edicto non est quod multa dicamus, imprimis cum moribus illud vix obtineat. in th. III. dictum est de Publicanorum origine & depravatâ naturâ; Ad compescendam itaque eorum audaciam & avaritiam, specialiter Edictum proponere visum fuit Prætori contra Publicanos eorumque familiam; quod ita habet: quod Publicanus, seu alius ejus nomine, quodque familia ejus rapuerit, si id restitutum non erit in duplum, aut si post annum agatur, in simplum, judicium dabo. Etsi autem ex hoc Edicto specialis hæc est actio, & quidem pœnalis mixta l. 5. §. 1. h. t. tamen per hanc mitiorem generalis de vi bonorum





raptorum, furti, damni, injuriæ, &c. actio minimè sublatà censetur quo minus his agere volenti liceat, nam absurdum foret publicanorum causam meliorem esse quam cæterorum.

XI.

Ex dictis patet, quod ille ex edicto hoc memorato agere possit qui læsus est, & convenitur, tum ipse Publicanus, tum ejus familia, si damnum injuriâ dederit, aut illicitè quid publicè privatimve exegerit, atque res restituta non fuerit, ut intra annum in duplum, post annum verò in simplum condemnetur *l. 1. pr. §. 1. l. 9. §. 5. h.* in duplo autem hujus rei persecutio inest *l. 5. §. 1. h.* Sin verò quis velit cum Publicano etiam communibus actionibus vi bonorum raptorum in quadruplum damni, injuriæ vel furti agere, potest, uti dictum, quat. una alteram non tollit, quod & aff. *l. 1. §. 4. h.* & ex hisce si sint convicti, sic postulante publicæ disciplinæ vigore extrà ordinem Publicani plectuntur *d. l. 9. §. 5. h. Peregrin. de jur. fisc. lib. 6. tit. 5. Mynsing. 1. Obs. 29.* Hæres verò Publicani non nisi in quantum locupletior factus conveniri potest. *l. 4. pr. h.*

XII.

Duæ adhuc hic proponendæ sunt quæstiones, antequàm huic Sectioni finem imponamus: Quarum prima est, num ad Publicanum-pertineant omnes redditus? Pertinere ad illum redditus seu obventiones omnes, de quibus inter ipsum & publico nomine locantem ut procuratorem Reip. contractus est initus, communis ferè DD. opinio fert, vid. latè Dn. Matth. *in tract. de auct. cap. 4.* Ex positis porrò deducitur illa quæstio, num ad Publicanos vectigalia conducen-

B

tes,





tes, etiam commissa ( *de quib. in Section. III. sumus dicturi* ) licet eorum non fuerit facta mentio, pertineant? Quod ex *l. 11. C. de vectigal.* ita obtinere arbitramur.

XIII.

Altera est, num elapso tempore, ad quod quis conduxit, teneatur ulterius conducere? Et dicimus quod regulariter quis ad ulterius conducendum cogi nequeat. *l. 9. §. 1. h.* etiam si tantidem de novo elocari non possint vectigalia *l. 3. §. 6. de jur. fisci.* Inhumanum enim iudicatum est, cum tempus, in quo pro publico conductore quis se obligavit, excessit, sequentis temporis nomine teneri. Videtur tamen casus quidam esse exceptus *in l. 11. §. fin. h.* nimirum si ante maximos fructus ex redemptione vectigalium consecutus fuerit; nam tunc horum cum futuro incommodo aliquatenus fit compensatio.

S E C T I O S E C U N D A

De

V E C T I G A L I B U S.

T H E S I S.

**I**N hac Sectione ipsa vox in limine venit explicanda. Vectigal autem à vehendo dictum, specialiter & propriè vocatur, quod Fisco vel Reipubl. pro transitu ac vectura mercium dependitur, affinitatemque synonymicam cum eo habere videntur, Datia, Gabellæ, Licentiæ, Pontivegia, Passagiæ, Taliæ, Portoria, Pedagia, Guidagia, Telonia, Germ. Zoll / Toll / Mauth / Zise / Accise &c. quorum pleraque peregrina sunt



sunt ac barbara. vid. Frideric. Mind. *de Process. lib. 2. de Mandat. cap. 42. num. 2. 3. Limn. ad Capital. Carol. V. art. 8.*

II.

Describimus Vectigal, esse redditum ærarii Principis, ob securum terræ marisque usum, pro mercibus quæ invehuntur vel exportantur, interdum etiam nudo transitu, pendendum.

III.

Ex proposita definitione patet, quod vectigalia regulariter dividantur in terrestria & navalia. Hæc subdividuntur in marina, ob maris trajectum in portu dependenda: & in fluviatilia, à navigantibus in flumine, persolvenda. Terrestria etiam dispefcuntur in Pedagia, quæ pedites & equites numerant, in Vectoria, quæ accipiuntur vel à Domino pro mercibus curru impositis, vel ab auriga pro rhedis, curribus & jumentis, qualia frequentia sunt in Italia & Belgio, ut adeò hic nemini curru vehere liceat, nisi qui pro hâc licentiâ Magistratui certum vectigal annuatim exsolvat, vulgò *Rutschen-Zoll*. Vectoria iterum sunt vel in specie sic dicta ex rebus, quæ solo vehuntur, provenientia, *Land-Zoll* / vel Pontivegia, quæ ab iis exiguntur, qui pontes permeant, *Brucken-Zoll*.

IV.

Vulgaris est ferè sententia statuens, vectigal & tributum idem esse, sed re benè perspectâ & considerata toto coelo differunt: Nam distinguuntur vectigalia à tributis ratione tum personarum, quibus illorum pensio incumbit, tum rerum, propter quas ea sustineri debent: Tributa enim à solis persolvuntur subditis, ob tutam rerum & mobilium & immobilium



possessionem. At vectigalia non à subditis modò sed peregrinis etiam præstantur, solarum mobilium rerum invectionis & evectionis gratiâ, quatenus nimirum illæ in emptionis aut permutationis veniunt contractum.

V.

Instituere potest vectigal ob publicam utilitatem ille, qui habet τὸ κυρίου seu jus Majestatis in Republic. *l. 10. princ. h.* ac sine hujus concessione non licet ulli nova vectigalia imponere, aut quid addere aut demerere. *l. 2. 3. C. de vectigal. nov. inst. non poss.* Ita hodiè in nostra Republ. jus imperandi, augendi prorogandivè vectigalia, ejus, qui superiorem non recognoscit, esse, communis DD. est opinio, quo etiam facit text. in Schwaben Spiegel Landrecht *cap. 12. n. 4.* vid. *Recess. Imp. de anno 1576. §. Weiter sind wir. 116. & seq. 117.* Cautum tamen est peculiariter Capitulationibus, quod Imp. non debeat augere vectigalia, nec nova instituere vel condere absque Electorum consensu *Cap. Carol. V. art. 18. Ferd. I. art. 17. Ferd. II. art. 17. Ferd. III. art. 20. Ferd. IV. art. 19.* ubi expressè Collegialis Electorum consensus requiritur verbis sat apertis. Imò Novissima Leopoldi Imp. Gloriosissimi Capitulatio majoris partis assensu haud contenta, unanimem omnium & singulorum consensum, quin & vicinorum, ac eorum, quorum interest, Statuum sententiam requirit. *art. 21. verb. Keinen Zoll von neuen geben / noch einige alte erhöhen oder prorogiren.*

VI.

Inferioribus tamen Principibus exigendi percipiendivè vectigalis facultas, beneficio Summi Principis & præscriptione hominum memoriam superante, competere



petere potest, teste Henr. Klock. *de jur. vectig. concl.*  
 15. Et sic primò Electoribus hoc jus à Carol. IV.  
 concessum est *A. B. cap. 9. §. 2.* Sed hodie aliis etiam  
 Imp. Statibus vel speciali privilegio vel consuetudi-  
 ne competit, quibus tamen necdum propria autho-  
 ritate nova vectigalia erigere, augere &c. licet. Vid.  
*Inst. Pac. art. 9. Capitul. Leopold. art. 21.* Et ea indi-  
 centis propria auctoritate, de Jure Civili pœna erat  
 exilium.

VII.

Agendum nunc est de rebus pro quibus vectigal  
 solvitur aut non. Et quidem temporibus Romanorum  
 præstabatur vectigal pro rebus quæ negotiandi causâ  
 inferebantur & evehebantur. Moribus tamen si quis  
 de importatis solverit, non eadem exportans tenebi-  
 tur *Mæv. lib. 3. tit. 6. art. 7. n. 11.* Licet hoc quan-  
 doque ab aliquibus tam accuratè non observetur, quod  
 tamen dolendum. Videndum est autem, maximè in  
 instituendis augendisque vectigalibus, ne res pauperi-  
 bus eorumque vitæ sustentandæ necessariæ, quas ipsi  
 ab exteris recipiunt, nimium onerentur, tum ne mi-  
 sera plebecula ferales cieat turbas, tum ne tam indi-  
 genæ quam alienigenæ ab istarum invectione abstra-  
 hantur. Unde res proprii usus gratiâ à subditis coëm-  
 ptas à gabellæ solutione prorsus immunes esse debere  
 constitutum est in *l. 5. C. h.* quamvis nostris tempori-  
 bus id non servetur, teste Klock. *conclus. 59.* *Mæv.*  
*l. 3. tit. 6. art. 3. num. 8. 9.* Item quæ ruris exercendi  
 causâ vehuntur, ut v. c. frumentum ad agrum conse-  
 rendum. Huc referri possunt res exercitui paratæ *l. 9.*  
*§. 7. h.* nam vadunt auctoritate publicâ & à Principe  
 dependent.

B 3

VIII. Mer-



VIII.

Mercibus verò peregrinis in vectis, quæ non sunt vitæ, sed deliciarum & luxuriæ fomenta, quarumque usus divitum peculiaris existit, vectigalium impositioni justus relinquitur locus. Uti apud Romanos aromata, pelles, unguenta, fucos, sericas vestes, & id genus alia inanium mercium, vectigali gravata fuisse constat ex *l. fin. §. 7. b.* Quandoque portoria earum rerum quæ exportantur, sunt augenda, quæ verò invehuntur, minuenda, si scilicet subditi iis commodè carere nequeant. Maximè tamen vectigali oneranda sunt fabrilis, lanificia, serica, ac omnis generis opificia, quæ aliunde advehuntur, quo subditi ipsi eadem fabricare ac conficere addiscant, & sic Respubl. eò populosior ditiorve evadat.

IX.

Dicendum etiam aliquid est de vectigalium magnitudine, & quantum quidem eò nomine exigi possit. Romani solebant ex mercibus venalibus vectigalis nomine exigere partem octavam, unde dictum vectigal Octavarium, & redemptores dicti hinc Octavarii *l. 7. & 8. C. b.* Centesimas aliquando & quinquagesimas exactas fuisse refert Cujac. *6. Observ. cap. 28.* & D. Lipsius in *Excurs. ad 13. Annal. Tacit. lit. C.* Hodiè verò secundum numerum, pondus vel mensuram mercium, certa pecunia solvitur; sed in hisce locorum consuetudo imprimis inspicienda venit.

X.

Nunc videndum est de iis qui debeant præstare vectigalia, & qui ab eorum solutione sint immunes. Et ne subinde nascantur discordiæ, quæ multorum malorum irritamenta sunt, vectigalia omnibus ex æquo impe-



imperanda ; justum enim æquumque est , neminem horum neque privatum hominem , neque populum immunem esse , cum ex æquo ad omnes utilitas eorum redeat. *Dion. lib. Histor. 52.* & beneficium quibusdam dare plebis injuria est , immunemque cives odere sui.

XI.

Regulariter ergo omnes vectigalia præstare tenentur *l. 7. C. b.* idque ideò statutum , ne damno afficiatur fiscus , aut is , qui cum eo contraxit & vectigalia conduxit ; frustraretur enim hic fructu suæ conductionis. Quia tamen interdum singulare jus contra juris communis rationem autoritate constituentium propter specialiore æquitatem ac utilitatem citrà prævaricationem alicui conceditur , jure factum videri debet , quod huic oneri subtracti sint (1) Professores , Doctores , Studiosi. *Auth. Habita. C. ne fil. pro patr.* (2) Clerici & personæ Ecclesiasticæ. *Auth. item nulla communitas C. de Episc. & Cler.* Ita tamen exemptas voluit Pontifex Ecclesias & personas Ecclesiasticas , quatenus non negotiandi causâ res deferunt , aut deferri faciunt ; nam aliàs earum nomine ut eandem cum Laicis sortem subeant , æquum est. Ad viarum tamen & pontium refectionem teneri eos sancitum est *in l. 7. C. de Sacros. Eccles.* Huc etiam referri possunt hospitalia & alia piis usibus servientia. (3) Præsides res in usus proprios advehendas sibi mandantes , qui dant libellum , in quo res sunt descriptæ , ut si quid ampliùs quam mandatum est transferatur , id munificum , id est , vectigali obnoxium sit. *l. 4. §. 1. b.* Sic & nostris temporibus immunes sunt Principes & Status Imperii res ad proprium usum advehi curantes.

Ipse



Ipsè Fiscus etiã ab omnium vectigalium præstatione immunis est. *l. 9. §. fin. h.* Consequèbantur etiã immunitatem olim Navicularii (hoc est, qui publicam annonam advehunt) *l. 6. in fin. C. h. t.* (4) Principum & Statuum Imperii Legati ad Comitìa Universalia vel Particularia euntes, quibus hæc immunitas, peculiari edicto (quod exhibet Fritsch. *part. 2. select. jur. pub. cap. 5.*) anno 1666. ab Imp. Leopold. denuo est confirmata. Ut & Camerales sunt exempti *Ord. Cam. p. 1. tit. 49. Recess. Imp. de anno 1654. §. Hingen 141.* Huc ultimò & (5) referimus Nobiles Imperii immediatos, teste Klock. *de jur. vectigal. concl. 31. Limn. l. 6. c. 3. n. 52. 66.* Hi tamen qui sic immunes sunt à vectigalium solutione, etiã res suas immunes profiteri debent, schedulã immunitatis (*Das oder Frey-zettel*) productã *l. 4. §. 1. h.* quoniam publicani id odorari nequeunt; quo tamen omisso, locus haud est commissò, teste Klock. *in loc. alleg. n. 88.* Atque ita etiã sic satis de hac materia.

S E C T I O T E R T I A.

De

C O M M I S S I S.

T H E S: I.

**O**B fraudatum vectigal dicitur res in Commissum cadere. Commissi vocabulum variè quidem sumitur, de quibus dicere non est nostri instituti. Hic Commissum sumitur pro eo, quod ob vectigal non solutum, vel omissam apud Publicanos professionem Fisco vindicatur, seu cujus commissum vectigali adqui-



adquiritur, uti loquitur *l. 14. b. & neminem fugit, in tali significatione hic sumi debere.*

Semel itaque ritè recteque constitutum vectigal hoc operatur, ut, qui ad ejus præstationem obligatur, merces apud Publicanum profiteri & debitam quantitatem (non ex ipsis rebus sive speciebus, sed in pecunia Hahn. *ad h. tit. ff. num. 5*) solvere teneatur. Et ea quidem est solvendi necessitas, ut non tantum graviter peccet ea subtrahens, verùm etiam ad restitutionem in foro obligetur interno Covar. *ad c. peccatum. p. 2. §. 6. num. 5.* justè enim cum exigantur, non est causa ea subtrahendi in foro etiam inferiori, poenâ propositâ iis, qui res suas celant, & subtrahunt, quæ ideo pro commissis habentur.

III.

Commissio itaque locus est (1) Si quis aliâ viâ usus fuerit insolitâ *arg. l. 6. C. b. l. 4. C. de curs. public. l. 7. C. de navic.* (2) Si quis exportaverit res prohibitas *l. 1. 2. C. quæ res export. non poss. l. 11. b.* Si verò aliquis res munes & immunes induxerit, & illas vel in totum vel pro parte celaverit, item si quis merces prohibitas & permissas invehat, & has professus fuerit, munes & immunes, prohibitas ac permissas cadere in Commissum de jur. Civ. asserendum videtur ex *l. 11. §. 2. b. r.* Ex æquitate tamen deceditur, solum res illicitas & immunes committi, nam in eo quis debet puniri in quo deliquit. Sed quær. sin plures navem quandam oneraverint, an delictum unius noceat reliquis negotiatoribus? Resp. quod non, licet focii fuerint *l. 8. §. 1. v. 39. §. 1. pro focio.* nam in delictis nulla est societas.

C

IV. Hanc





IV.

Hanc autem commissi poenam haud extenderim ad innocentem dominum, nautam vel aurigam, qui mercium vehendarum & vectigalis solvendi negotium in se suscepit, publicanum defraudante, ne perfidorum in potestate sit, ignorantibus Dominis res suas iis auferre. vid. *l. 8. §. 1. l. 11. §. 2. l. fin. §. 12. h. t.*

V.

Quaestio est, num hic etiam sit poenitentiae locus? Resp. Neg: sed merces Fisco ipso jure cadere in commissum, licet postea paratus quis sit vectigal solvere, quia lex dominium mercium ipso jure Fisco absque ulla traditione tribuit; quoties autem lex executionem facit, morae purgatio non admittitur. *l. 16. §. 3. 12. h. Mod. Pistor. v. 2. Conf. 38. num. 33. Qui num. 18. etiam testatur, quod etsi ad possessionem rerum commissarum auferendam de jure Civili opus sit sententia declaratoria, hodie tamen generali consuetudine Fiscus propria auctoritate bona commissa apprehendat, quam consuetudinem optimo maximo juri inniti probat Klock, de jur. vectigal. conclus. 86. l. C. Quod equidem suo loco relinquo.*

VI.

Dominium ita commissarum rerum ipso jure Fisco vel loco ejus Publicano acquiritur *l. 14. h.* & datur commissi persecutio Publicano adversus quemlibet possessorem. *l. ead. alleg.* nimirum rei vindicationis etiam adversus heredem si possideat *l. 8. pr. h.* sin vero non possidet, non etiam conveniri potest hujus poenae nomine; nam poenales actiones nunquam dantur adversus heredes, nisi quaestio sit mota ante mortem delinquentis. *l. ult. §. penult. h. t.*

VII. Cessat



## VII.

Cessat autem ista vindicatio (1) Si quis professus fuerit, & Publicanus non exegerit *l. 16. §. 12.* cum sola professio sufficiat, & imputandum sit Publicano quod non exegerit. (2) Ignoscitur pupillo vid. *l. 7. §. 1. h.* item minori *l. 16. §. 9.* ut & militi *l. 1. C. d. t.* Locus etiam non est commissi (3) si ob adversam tempestatem onus exponatur *l. fin. §. 8. h.* quod extendunt DD. ad aliam urgentem necessitatem, ut ob metum latronum; elegans etiam exemplum in hac causa nobis præbet. *l. 15. ff. h. t.* Cessat etiam (4) si quinquennio elapso res petita non fuerit. *l. 2. C. eod.* (5) Si quis ex errore probabili non profiteatur res, quo casu duplum vectigal solvet. *l. fin. §. 10 h.* Et tandem (6) si res perierit sine dolo possessoris *d. l. Moribus* verò nostris fraudulenter vectigal non solvens arbitrariè multatur, & bona usque dum pœnam solverit detinentur. Sin verò ex justâ ignorantia solvere omisit vectigal, adhuc solvet, sed pœna remittitur.

Hæc sunt quæ proponere constitui pro temporis & instituti ratione: plura de his qui lustrare desiderat, conferat Authores à me allegatos. Et sic disputationis vela contraho & hic anchoram figo. Summum Numen veneror, ut sicuti hætenus, ita etiam in posterum suo auxilio mihi adesse, omnesque meos conatus eo dirigere velit, uti cedant in Sancti sui Nominis Gloriam, nostræ Reipublicæ utilitatem, meamque salutem propriam.

*Omnibus in rebus satis est voluisse, voluntas,*

*Cætera si desunt, respicienda venit.*

F I N I S.



**I**ngenium, probitas, pectus quoque Teutone dignum,  
 Mensque laboris amans, delitiata bono;  
 His, HOCHWANDT, *celsus* quin *murus* aheneus esto  
 Et coelos animo, sydera laude subi.  
 Porro subi: quo Marte vales, progressus eodem,  
 Excelsi penitus nomen & omen habe!  
 Gratulor hos ausus: ipse jam Pulpita Tecum  
 Scandat virtutis, Juris, honoris apex!  
 Me Duce nunc pugnas: decurso tramite fiet,  
 Ut laurus manibus, sit Tibi pulchra meis.

*Pereximio Domino Auctori Respondenti,  
 Auditori suo in paucis charissimo  
 & solertissimo gratulabundus*

l. m. q. fecit

P R Æ S E S.

Ornatissimo Doctissimoque Domino

R E S P O N D E N T I.

**P**laudite Io Musæ, nec non cantate Camæna  
 Laudibus, Hochwandum tollite ad astra poli:  
 Juris enim Ausonii mysteria sancta recludit  
 Hochwandt Pierii gloria rara chori.  
 Totaque Teutopoli, quæ juri addicta juventus  
 Hoc stupet, & miris cantat Apollo modis.

*Hæc*



*Hinc etenim cuncti præclara encomia debent,  
 Qui pro jure sacro prælia dura subit.  
 Et certè decus est, fera prælia Martis inire,  
 Victorem majus sed rediisse decus.  
 Est decus Aonidum conscendere castra sacrarum,  
 Principibusque viris est placuisse decus.  
 Non minus at decus est Politicæ jura tenere,  
 Juris & abstrusas solvere posse strophas.  
 Hoc tu nunc præstas Hochwand, moderamine Crusi  
 Præclari, clarus, quo duce, victor eris.  
 Fortè tibi juvenes Nympharum castra secuti  
 Si quatient manibus Palladis arma suis,  
 Audacterque tuis si tela minantia telis  
 Objicient, quid tum? Dux tibi fortis adest  
 Crusius, en magnus juris legumque peritus,  
 Qui tibi succurret consilio, auxilio.  
 Ergo te præstes fortem non Marte sed arte,  
 Sicce tibi pandet Phæbus honoris iter.  
 Volvisti ac volvis sinuosa volumina juris  
 Atque sacras leges nocte dieque legis.  
 Eja age sic pergas, sic Justinianus honores  
 Promissos tribuens laurea ferta dabit.*

Sic gratulabundus

*rudi Minerva accinebat*

M. M. S. E. R. M.

C 3

Mancipi-



**M**Ancipibus dum jura refers, quis, quæso, negabit

Mancipibus simili Te ratione parem?  
 Illi multa manu, Tu contra plurima captas,  
 Exemplum sed res audit & illa malum!  
 An pejora loquar? dici hæc audacia posset,  
 Fortè quod exhibeas *capta* rapace manu.  
 Ast Prætor, ni fallor, adest, & dicere gestit  
 Nomina, quò simili Te ratione premat:  
 Quid conficta cano? non Te (velut illa tenetur  
 Grex Decumanorum) *publica* jura vocant;  
 Nam quæcunque manu turba hæc *captare* solebat,  
 Hæc Tu subtili *percipis ingenio*:  
 Hinc quoque Sancta Themis multos gratatur honores,  
 Et Tibi pro meritis præmia digna refert.

*Pauca hæc L. M. Q. P.*

H. V. E. C. HAES, Clivo Clivens.  
 LL. Stud.

l. 17. ff. de  
 leg.

**H**Aud quaquam satis est, latarum verba tenere  
 Legum, scire sed est leges, novisse potestas  
 Rectaque quæ vis sit, sensus quis sanus earum.  
 Hoc te scire modo leges elementaque juris,  
 Me reticente probant, quæ das, responsa. Sed ecce

*Inde-*



*Indefessus agas, foveat pulcherrima spes te,  
Legitimo hoc Studio toto cum laude peracto  
Posse gubernari Rempublicam, & illius unâ  
Parte in credendâ tibi, reddi jura gravatis.*

*Imp. Just.  
in Proëm.  
Inst. §. fin.*

*Hisce pauculis Doctissimo Dn. Resp. in  
amicitiæ pignus gratulabundus ap-  
plaudere voluit*

B. E. W. LL. Stud.

**N**obilis est ardor, qui pellit quærere Musas,  
Ac simul est felix, quem DEUS hisce beat.  
Gratulor ex animo, quod tu defendere tentas,  
Leges humanas, Juris & artis opus.  
*Audaces Fortuna juvat!* cecinere Poëtæ,  
Nil terrere potest; CRUSIUS ecce tibi.  
Præmia, quod superest, dignis dabit exitus ausis,  
Si modò ne cesses cœpta movere tua.

*Hisce paucis Præst: ac Doct: Dn. Resp:  
amico suo in primis dilecto gratulari  
voluit*

A. WITTEN, Med. Stud.



In 3. J.  
in Prosa  
1782

Infectus agas, foveat pulcherrima flos  
Lactaria hoc primo tota tanta parata  
Pote gaudere, Remoustrum, O. illud  
Pote, in ex. dandi tibi, reddi tibi gratia  
Hic prout Decimo Duff. in  
anciens rigus gratitudinis  
plaudere voluit

B. L. W. 1. 1. 1.

**N**obilis est ardor, qui bellis pariete Massas  
Ac simul est felix, quum fatis hinc beat  
Carolus ex animo, quod ad defendere tentas  
Leges humanas, fides & acris osses  
Nobilitas fortuna parat, recurre fides  
Nil rectere potest; Cursum ecce tibi  
Præmia, quod honoris, dignis habet extus antra  
Si modo ne cæcis copia mouere tas

Hic prout Præf. ad Doff. Dof. Roff.  
anciens suo in prout d'hefo gratulari  
voluit

A. Wittim, Med. Stud.





Duisburg, Diss., 1661-99

(1)

ULB Halle

3

004 527 046



Sb

KD7









URIDICA

93

ANIS,  
LIBUS

1684,1

SIS,

A.  
NIO  
*Consultissimi*

CRUSII,  
ue in Alma Ele-  
est Teutoburgi  
ecessoris Or-  
Decani,

*assumit*  
HOCHWANDT,  
& R.  
*s locoque solitis.*

ENUM,  
Academ. Typogr.  
XIV.